



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXIX. Argumentum. Declarat præsens Decisio, quid sit Livellus? & in quibus differat à Feudo, ac à Censu, & præcipuè ab Emphyteusi? Et in quibus cum ea conveniat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

DECISIO LXIX.

ARGUMENTUM.

Declarat præfens Decisio, quid sit Livellus? & in quibus differat à Feudo, ac à Censu, & præcipuè ab Emphyteusi? Et in quibus cum eâ conveniat?

SUMMARIUM.

1. Livellarius contractus similis cum Feudo, Censu, & Emphyteusi.
2. Feudum quid sit?
3. Angaria nomine quid veniat?
4. Pasculum, seu Postia di Pecore, quo tempore sit in usu?
5. Decima Ecclesiastica quid sit?
6. Quarrefia quibus, & quo jure debeantur?
7. Locatio quid sit?
8. Censu quis intelligatur?
9. Emphyteusis quid sit?
10. Livelli, seu Libelli contractus definitio.
11. Livellus est, dum traditur dominium utile fundi, retento directo.
12. Livelli, ac Censu contractuum notabilis differentia.
13. Livellus in quibus differat, & in quibus conveniat cum Emphyteusi?
14. Emphyteusis dat rem sterilem ad culturam.
15. Pensio modica datur in Emphyteusi, aqualis fructibus in Livello.
16. Livellus, ac Emphyteusis conveniunt in octo requisitis.

Quia frequenter disputare, ac dubitare contingit, An in contractibus livellariis committatur Usura? ideo declarare oportet: Quid sit Libellus? seu Livellus? Ad hoc quæsitum plures plura dixere, sed doctiores notarunt, contractum livellarium, seu livellarium adeo fraternizare cum Feudo, Locatione, Censu, & Emphyteusi, ut, nisi reperitur vera, & propria differentia, quâ distinguuntur adinvicem, vix fieri possit, ut quid præcisè Livellus sit, cognoscatur. Doctores enim de eo scribentes intricantur, & confunduntur superfluis, futilibus divisionibus, & differentiis, à quibus exituri concludunt, supradictas voces esse synonymas, & ex communi usu loquendi nomina, vocabulaque Censu, Livelli, ac Emphyteusis promiscuè adhiberi, ita ut nulla videatur differentia quoad effectum inter hos contractus. Clarus in s. Emphyteusis num. 1. Cardin. Mantica de Tacit. & Ambig. lib. 3. num. 4. Cardin. Paris. consil. 77. num. 13. & consil. 85. num. 4. lib. 3. & Menochius consil. 391. num. 7.

Cæterum ne animarum Rectores, Confessarii involucris scribentium de his contractibus confundantur, eos scire juvabit, differre inter se Feudum, Angariam, Pasculum, Decimam, Quarrefiam, Locationem, Censum, Emphyteusin, & Livellum.

Feudum propriè est concessio bonorum facta per Dominum alicui cum juramento fidelitatis, & cum onere servitii personalis. M. Anton. Peregrin. Patavinus consil. 9. num. 17. & 18. l. 1. Dicitur fuit propriè: quia ubi conceduntur bona sub juramento fidelitatis, & recognitione annua alicujus rei, tunc Feudum dicitur impropiè. cap. Ad Apostolica. de Re judic. in 6. ubi Regnum Siciliæ datum esse ab Ecclesia Friderico Imperatori dicitur in Feudum; quod notat Peregrinus dict. consil. 9. num. 18.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Angaria est præstatio quædam personalis, quæ imponitur ob communes necessitates. Gloss. in capit. Quæ sint Regalia. In Visib. feudor. l. Munerum. s. Patrimoniorum. ff. de Muner. & honor. Marcus Mantua Jurisconsultus Patavinus consil. 106. num. 5. tom. 1.

Pasculum (vulgò la Postia) est jus pascendi oves super campis alienis. Idem Mantua dict. consil. 106. num. 7. à die tamen S. Michaelis usque ad festum S. Georgii: sed in pratis, quæ secantur, per totum mensem Martii tantum. Statutum Patav. noviss. pag. 330. & 331.

Decima est portio fructuum ex prædiis provenientium, Dei ordinatione Ecclesiæ debita, pro Ministrorum ejus sustentatione, cap. Parochianos, & cap. Tua, de Decimis. De qua Clerus noster Patavinus scripsit supra Decis. XVI. num. 10. & seqq.

Quarrefium est ipsius Decimæ quarta pars, specialiter reservata Sacerdoti Sacramenta populis ministranti, ex ipsa Decima extrahenda, quando aliis Ecclesiæ Ministris ex immemorabili consuetudine, vel legitima præscriptione est debita. Ferretus consil. 123. num. 2. & 7.

Locatio est personæ, vel rei ad usum facta concessio per modicum tempus pro pensione à conductore locatori solvenda, quæ fructibus correspondeat. Menoch. dict. consil. 291. num. 4. & Cardin. Mantica de Tacit. lib. 5. tit. 1. num. 2.

Censu est pensio, quam solvit rei immobilis, ac frugifera dominus, & possessor, ratione fructuum, quos ex eadem re percipit. Glossa in c. Constitutus. Verb. Juxta ratam. de relig. domib. Jul. Clarus dict. s. Emphyteusis num. 2. Menoch. d. consil. 291. num. 5. & Mantua d. consil. 106. num. 4.

Emphyteusis est traditio rei sterilis, ut ad culturam redigatur, unâ cum ejus utili dominio, cum obligatione modici canonis, in recognitionem domini directi annuatim solvendi. l. 2. & l. fin. c. de Jure Emphyt. Clarus dict. s. Emphyteusis. quæst. 1. Cardin. Mantica de Tacit. dict. lib. 22. tit. 1. num. 2. & Redoanus de Reb. Eccl. non alien. quæst. 2. cap. 22. num. 5.

Livellus (seu Libellus) est concessio rei immobilis, & frugifera, unâ cum ejus dominio utili, ac possessione, alicui per dominum, retento sibi dominio directo, facta: singulis viginti novem annis renovanda, sub certa pensione annuatim solvenda, quæ fructibus ejusdem rei correspondeat, nisi ex speciali pacto redimatur. Cardin. Tullius Lit. L. conclus. 399. Marta [qui de anno 1614. in hoc Patavino Publico Gymnasio primæ Cathedralis Juris Canonici Præses erat] in Tractatu de Clausulis part. 2. claus. 3. Ad solitum livellum, num. 6. & 7. & in libro ejus consiliorum consil. 126. per totum, ubi formam hujuscemodi contractus livellarii rationibus, & Doctorum auctoritate propugnat. Decian. respons. 23. num. 26. vol. 5. Alex. de Nevo consil. 95. per totum; & ex Theologis Paul. Comitoli. in suis responsis Moralib. lib. 5. quæst. 29.

Ex his tria notabilia resultant. Primum, à veritate alienum esse [saltem in hisce regionibus] Livellum tunc dici, quando Feudatarius, seu Emphyteuta concedit alteri pro annua pensione prædium, quod ipse habuerat à domino in feudum, vel Emphyteusin, & sic, quando concedens non est dominus directi domini: quam assertionem tam Legistæ, quam Summistæ desumpserunt ex Jas. in l. 1. num. 29. c. de Jure Emphyt. & ex Claro dict. s. Emphyteusis, quæst. 1.

num. 1. Siquidem praxis quotidiana, & experientia ipsa nos docet, Livellum consistere in traditione fundi, cum ejus utili dominio, quam facit dominus absolutus ejusdem fundi, retento sibi dominio directo; de cujus formalitate faciendi livellos plurimi DD. scripserunt, quos refert Marta dict. consil. 126. & Cæsar Manentus in suo Tractatu de Jure contractus livellarii; adeo ut mirum sit, plurimos Jureconsultos hujus contractus formæ se ignaros ostendisse, & neminem ex Theologis, præter doctissimum P. Comitolum supracitatum, de livellario contractu in suis præcis terminis tractasse; quod evenisse credendum est, quia talis contractus livellarius extra statum Serenissimæ Reipublicæ Venetæ non est in usu.

Alterum notabile est discrimen verum, & essentialiale, quod extat inter contractum Censuum, & contractum Livelli, nimirum quod in contractu censuali resignativo, penes eum prædii nulum omnino remaneat dominium neque utile, neque directum, qui totum transmittit in Censuarium, & in censu consignativo utrumque dominium directum, & utile remanet in eodem censuario, nihil aliud ipso censualista acquirente, nisi jus consequendi annuam pensionem, & responsionem, quam sibi reservat. At in Livello, non transfertur in livellarium dominium directum prædii, sed utile tantum, remanente dominio directo semper apud livellantem; sive in ejus bonis multo ante fuerit prædium, quod datur ad livellum, sive de recenti fuerit emptum, & acquisitum pro ipsummet livellantem; ut fatetur Manent. dict. quæst. 1. num. 1. Marta d. consil. 126. Menochius dict. consil. 291. num. 5. Cencius de Censib. part. 1. cap. 1. quæst. 1. art. 1. num. 16. & 17. P. Comitulus dict. lib. 3. quæst. 29. num. 1. Peregrinus consil. 20. num. 16. lib. 3. & Rota coram Cardin. Seraphino decis. 1195. num. 1. rom. 2. quamvis ibi contractus livellarius appelletur Emphyteuticus.

13 Tertium autem notabile est, quod Livellus essentialiter differat ab Emphyteusi in duobus; conveniat verò, & fit ei similis in pluribus.

Primo est distinctus ab Emphyteusi, quia Emphyteusis verè, & propriè dicitur, quando traditur res sterilis, ut ad culturam redigatur, & restitueretur; veluti si fundus sit buschivus, vel domus rupta. At livellus conficitur per traditionem domorum, vel camporum, quæ, quive in bona structura, seu cultura reperiuntur. Redoan. de Rebus Eccles. non alien. quæst. 2. cap. 22. num. 5. & quæst. 79. cap. 12. num. 13. Cardinal. Mantica de tacit. lib. 22. tit. 1. num. 2. ubi ex Natta, græcæ locutionis non ignaro, consil. 49. num. 6. ait, Emphyteusin descendere à verbo Græco Emphyteuo, quod latine significat infero, planto, germino. Sed legendum est ἐμψυτεύω, quod significat inferere, runcare, & plantare; ex quo formatur nomen ἐμψυτεύσις, id est, insitio, aut plantatio, sive etiam res, quæ est insita, vel plantata, ut docet Scapula in suo Lexico in Verb. Εἰμψυτεύσις. Et concordat Albericus in Dictionar. eodem Verb. Εἰμψυτεύσις: subdens, quod ἐμψυτεύσις græcè, latine dicatur Melioratio, ab initio enim vilia dabantur in Emphyteusin, quæ recipiens meliorabat, & melioramenta sua erant; quod postea permissum est etiam in prædiis fertilibus, & fructuosis, & in his datio

dicatur ad livellum & eadem docet Magrius in suo Hieroglexico Verb. Emphyteusis.

Secundò differt Livellus ab Emphyteusi, quia in ista pensio solet esse modica. Cardin. Mantica de tacit. dict. lib. 22. tit. 2. à tit. 18. & segq. 15 At in Livello pensio tanta constituitur, ut cor- respondeat fructibus, qui ex fundo colliguntur, aut sit parum minor. Comitulus dict. lib. 3. quæst. 29. num. 1. Vers. Quartum. Decianus resp. 23. num. 26. vol. 5. ubi plurimos allegat. Marta de clausul. dict. part. 3. clausul. 3. num. 7. & d. consil. 126. num. 5. ubi sustinet, quod pensio ad rationem quinque pro centenario sit justa, & irreprehensibilis, & jure quidem, nam per legem Serenissimæ Reipublicæ Nostræ die 1589. 24. Junii, Pensiones livellariae in Territorio Patavino taxantur, & approbantur ad rationem sex pro centenario, prout ex Typis Antonii Pinellii Veneti Impressoris Ducalis sub dicta die, & anno apparet, & testatur Decianus [qui pariter eo tempore erat Juris Cæsarei in prima Sede matutina ordinarius Interpres in hoc florentissimo Gymnasio Patavino] in cit. Vol. 5. resp. 22. num. 25. & legitur in fine Novi Statuti Patavini pag. 329. Et in Statuto Veneto in Decr. pag. 232. & registrabuntur infra Decis. LXXI. num. 15.

Convenit autem Livellus cum Emphyteusi, & ei similis est in pluribus, ita ut plurimi DD. scripserint, Livellum, & Emphyteusin esse synonyma, & indistinctè unum sumi pro alio. 16 Julius Clarus dict. §. Emphyteusis quæst. 1. num. 1. Cardin. Parisius consil. 77. num. 13. & consil. 85. num. 4. lib. 3. Menochius consil. 372. num. 1. & pluribus congestis. Marefcot. Var. resol. lib. 2. cap. 76. num. 20. & 21. Similitudo, seu conventio præcipuè consistit in sequentibus.

1. Tam in Livello, quàm in Emphyteusi dominium directum fundi remanet penes livellantem, seu dantem in Emphyteusin. Cardinal. Tuscus Verb. Livellarii conclus. 399. num. 13.

2. Res immobilis requiritur in utroque contractu Emphyteutico, & Livellario.

3. Scriptura quoque ex forma requiritur tum in Emphyteusi, tum in Livello, qui propterea propriè appellandus esset Libellus; unde E- ques Octavius Ferrarius [etatis nostræ literariæ eruditionis splendor, & Græcæ linguæ Publicus in Lycæo nostro Professor] scribens de Origine linguæ Italicæ in Verbo Livello ait: Contractus Livelli fit interveniente chirographo, seu brevi scriptura, unde nomen Libellus: idemque testatus est Redoan. de Reb. Eccles. non alien. quæst. 2. cap. 15. & Paul. de Gastro consil. 157. num. 2. part. 2.

4. Neque in Emphyteusi, neque in Livello fit remissio pensionis propter sterilitatem, vel tempestatem, aut quamcunque aliam fructuum calamitatem. Cardinal. Tuscus dict. concl. 399. num. 6.

5. Perpetua est concessio rei tam in Emphyteusi, quàm in Livello. Cardin. Tuscus ibid. num. 7. & Anchar. consil. 249.

6. Melioramenta in utroque contractu sunt propria Emphyteutæ, seu Livellarii, ea tamen non sunt alteri vendenda irrequisito domino, qui, si emere illa voluerit, est cæteris præferendus.

7. Collectis, & gravadinibus publicis, quæ per Principem imponuntur, non subjacet Pensio Emphyteutica, seu Livellaria, quæ minor sit sex pro centenario.

8. Ob cessationem solutionis pensionis intrat caducitas, & fundus cadit in commissum tam in Emphyteusi, quam in Livello; prout etiam ob alienationem factam sine consensu Domini. Cardin. Tuscus *ibid.* num. 9. & 10. ex Bart. in l. 1. §. Quod autem: l. 2. de superficieb. & alii plurimi, quos citat Tiraquell. de Retract. lin. §. 1. Gloss. 14. num. 84. Decius *consil.* 146. & 159. & 163. Ruin. *consil.* 161. num. 30. lib. 1. Natta *consil.* 114. & Marc. Anton. Variar. Resolut. lib. 1. resol. 62. per totam; præcipue num. 8. vigore pacti prælationis, quod in contractu ponitur favore Domini ipsius Livelli.

DECISIO LXX.

ARGUMENTUM.

Propositis quatuor divisionibus Livelli disputatur, an alius sit Prædialis, seu fundiarius, & alius Pecuniarius? Hanc divisionem traditam à Casare Manento non esse veram, sed omnem Livellum esse prædialem fortissimis rationibus ostenditur; evacuatis argumentis ejusdem Casaris Manenti.

SUMMARIUM.

1. Livelli divisiones quatuor, & quæ?
2. Livellari non possunt bona Ecclesie sine licentia Papæ.
3. Livelli divisio in fundiarium, & pecuniarium impugnata.
4. Casar Manentus de Livello pecunia constituto reprobat.
5. Emptio, & venditio simulata quæ sit?
6. Locatio perpetua censetur esse Livellus.
7. Vendere prædium sine mensura, aut viliori pretio arguit simulationem.
8. Obligatio solvendi datum Instrumenti, & expensas ejus, impositas venditori fundi arguit venditionem simulatam.
9. Venditio fundi, ut retrocedatur ad Livellum, est venditio vera.
10. Livellus factus pravâ venditione fundi, & ejus retrocessione, est legitimus, validus, & prædialis.
11. Claus. Constituti transfert statim dominium fundi in Emptorem.
12. Venditor fundi retinet possessionem ex titulo initii Livelli.
13. Malignitas est interpretari contractum licitum tanquam Usurarium.
14. Mensura, & extractio fundi non est de essentia venditionis.
15. Pretii inæqualitas rei venditæ quando indicet simulationem?
16. Contractus ex conventionione partium legem accipiunt.
17. Consuetudo generalis facit legitimum pactum.
18. Expensa Instrumenti venditionis ad quem spectat?
19. Livelli unica est species, & omnis Livellus est prædialis.

1 Sequitur ad explicationem hujus contractus, ut sciamus, Quotuplex sit Livellus? Et circa hoc quæsitum quatuor divisiones assignatæ fuerunt. Prima, quod alius sit Livellus perpetuus, qui francari non potest invito Domino, & alius Temporalis, qui quodocunque, vel post alicujus temporis cursum redimi, & extinguere valet. Secunda; quod alius Livellus sit fructuarius, nimirum qui solvitur in fructibus, puta frumento, uvis, oleo:

Alius pecuniarius, cujus pensio solvitur in pecunia. Tertia, quod alius sit Secularis, seu profanus, qui scilicet constituitur à personis laicis; & alius Ecclesiasticus, quando bona Ecclesie dantur ad livellum, vel super iisdem bonis Ecclesiasticis constituitur Livellus, seu, ut vulgò dicitur, recipitur pecunia ad livellum; & in hoc casu requiritur præcedens licentia Sed. Apostolicæ; quia facere Livellum est species alienationis comprehensa in Extravag. Ambitiosa, de Rebus Ecclesie non alien. & prohibita sub censuris. The-saur. de Pernis part. 2. Verb. Alienatio cap. 1. & 2. & Verb. Usurpatio cap. 2. Quarta divisio est, quod, sicut Censui vel est Resignativus, videlicet formatus cum traditione fundi, vel Consignativus constitutus cum pecunia, ita Livellus alius sit Fundiarius, seu Prædialis, id est factus cum concessione fundi, & alius Pecuniarius, nimirum, qui creatus, & constitutus est cum pecunia. Casar Manentus in dict. Tractatu de Jure contract. livellarii quæst. 3. ubi post longam impugnationem hujusmodi Livelli pecuniarii deducit, in nihilo differre à censu consignativo; ac proinde, nisi constitutus fuerit servatis omnibus conditionibus in Bulla S. Pii Quinti suprarrelata statutis, contractum esse illicitum, usurarium, & omnino damnandum.

Cæterum prædicta distinctio livelli fundiarii, & pecuniarii, quam facit Manentus, non est vera; sed prorsus dicendum, & tenendum, unicam esse speciem Livelli, videlicet, fundiarii, seu prædialis; sive fundus, qui traditur Livellario ad livellum, fuerit ab antiquo possessus à domino livellante, sive per eundem sit nuper emptus numerata pecunia, & receptus à livellario, cum pacto retrocedendi ipsum ad livellum; quandoquidem etiam in hoc casu, qui acquirit livellum, proprium fundum tradit livellario, retinendo in se dominium directum, quod iusto pretio acquisivit ex contractu præcedentis emptionis, & venditionis rite, & rectè factæ, ac perfectæ, inter ipsos contrahentes, livellantem, scilicet, & livellarium; qui quidem cum professi fuerint per expressum vendere, & emere, contraxerunt ad invicem illius fundi emptionem, & venditionem; quæ stante re, & pretio determinato, perficitur solo consensu. l. Consensu. ff. de Act. & Oblig. l. 2. ff. de Contrahen. Empt. l. 1. ff. de rerum permut. Cardin. Mantica de Tacit. lib. 14. tit. 11. num. 37. Igitur perfecta, completaque emptione, & venditione per solutionem pretii, quod actualiter facit emptor fundi, & ejusdem dominio pleno acquisito per clausulam Constituti, de qua in instrumento Barbosa de Clausul. Ususfreq. claus. 31. volentes ipsæmet partes devenire ad contractum Livelli, emptor, qui jam est dominus fundi, dat illum ad livellum venditori, & in eum transfert solum dominium utile, retento apud se dominio directo; unde sequitur, quod idem emptor, si alteri personæ daret fundum illum ad livellum, diceretur facere livellum fundiarium, seu prædialem; ita venit quoque dicendum, et si contractus livellarius fiat cum venditore; completa jam, & consummata venditione, & emptione fundi.

Porro hanc veritatem nixus est impugnare 4 Casar Manentus in prædicto suo tractatu de Jure contractus livellarii pecunia constituti; asserendo, contractum prædictum emptionis, & venditionis fundi esse simulatum, & nullius roboris, eo quia